

dictam, tum ob elegantiam, quâ similia similibus comparant et adumbrant.

CAN. 56. — Plures etiam, non tantum typicos et typicè subordinatos, sed etiam dissimiles et disparatas, posse esse sensus litterales S. Scripturæ docet S. August. lib. 12 Confess. c. 18, 25, 26, 31 et 32, quem citat et sequitur D. Thomas p. 1, q. 2, a. 10, in corp. idque colligitur ex conc. Lateranensi e. *Firmiter de sum. Trinit. ubi concitum ex illo Gen. 1: In principio creavit Deus cælum et terram*, juxta duos sensus litterales, duas concludit veritates, scilicet, quod mundus incepit, quasi *in principio*, significet principium temporis, et, quod nihil ante mundum sit productum, quasi *in principio*, idem sit quod, *ante omnia*. Sic illud Psal. 2, 7: *Ego hodie genui te*; Patres tam de humanâ, quam de divinâ Christi generatione explicant. Hinc et versio Septuag. alium subinde dat sensum litteralem, quam nostra; et olim multe alie versiones erant differentes ab invicem. Sic alio sensu Caiphas, alio Spiritus sanctus per os ejus dixit: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo*, Joan. 11, 50, et tamen utrumque, scilicet tam Caiphas, quam Spiritus sancti sensum et mentem enarrat et hisce verbis significat S. Joannes. Verum in hoc, uti et in aliis plerisque, unus sensus alteri aliquâ ratione conjunctus, et quasi subordinatus est.

CAN. 57. — Apud Hebræos, præsertim Prophetas, crebra est enallage, et commutatio, tum persone, ut transeant à primâ vel secundâ, in tertiam, qualis est Deuter. 35, 7; tum temporis, ut præteritum ponant pro futuro, ob futuri certitudinem, qualis est Deuter. 32, v. 15, 16, 17, 18, 21, 22 et seq.; tum numeri, ut à singulari transeant in pluralem, et contra, qualis est Deuter. 32, v. 15 et 16, tum generis, ut à feminino transeant in masculinum, et contra, qualis est Genes. 3, 15.

CAN. 58. — Climata, seu plagæ orbis, ut Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, in Scripturâ intelligenda sunt juxta solum Judææ, Jerusalem et templi, Judæis enim scribuntur Moses alique hagiographi; et Judæa sita quasi in medio orbis habitati et culti, erat terra et peculium Dei.

CAN. 59. — Una res est figura duorum, etiam contrariorum, sed alio et alio respectu. Sic diluvium, quantenus in eo enativit Noe per arcam, fuit fidelibus typus baptismi; quantenus verò eo mersi sunt impii, fuit typus supplicii reprobis irrogandi in extremo judicio. Sic Christus est petra et lapis angularis Ecclesiæ, sed piis est lapis salutis; infidelibus verò et impiis est lapis offensivus, et petra scandali. Sic Christus vocatur leo, ob fortitudinem; diabolus verò vocatur leo ob crudelitatem et rapacitatem. Tradunt hunc canonem S. August. Epist. 99 ad Evodium, et S. Basilium in Isaia cap. 2.

CAN. 40. — In sensu litterali omnes sententiæ, omnique verba debent explicari, et accommodari rei significant; id autem non est necesse in sensu allegorico. Imò S. Hieron. Greg. Origen. et alii sæpè liberam volunt esse allegoriam, atque in eâ explicandâ non

servant rigorem historiæ. Exemplum est in Davidis adulterio, quod S. August. Ambros. et alii docent fuisse typum amoris Christi in Ecclesiam gentium, que antea cum idolis ut adultera vixerat. Verum propria et solida allegoria debet respondere historiæ, et quò aptius respondet, eò aptior est, imò aliqui non est proprius Scripturæ sensus, sed quasi accommodatissimus. Sicut enim litteralis est is, quem primò verba significant; ita allegoricus est, quem res per litteralem sensum significat, adumbrant et significant; ita docet S. Hieronymus in Osee 5, ubi retractat contrarium, quod alibi dixerat.

CAN. 41. — In Mose et Scripturâ non raro est hendiadys, que figura est quâ unum in duo dividitur, unde rectius vocatur *τὸ διὰ δύοις*, id est, unum per duo, ut apud Virgil. *Æneid. 1: Motemque et montes insuper altos imposuit*, id est, moles altorum montium imposuit; et alibi: *Aurum frenosque momordit*, id est, frenos aureos momordit; et alibi: *Pateris libanus et auro*, id est, pateris aureis. Talis est Genes. 4, 14: *Sint (sol et luna) in signa, et tempora, et dies et annos*, id est, sint in signa temporum, dierum et annorum. Talis quoque est Coloss. 2, 8: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam*, id est, per philosophiam inanem fallaciæ, sive que sit inanis fallaciæ, q. d., non damno omnem philosophiam, sed eam tantum que non est aliud, quam inanis fallaciæ; *et enim et, ibi et alibi, per id est*, exponi debet.

CAN. 42. — Solet Moses, alique Prophetæ, redemptionem Christi duplici nomine, et ferè copulato significare, puta strage et salute, ultione et redemptione, indignatione et pace, sanguine et incolmuitate, pretio et victoriâ. Hinc secundò, prophetæ, nullâ factâ distinctione inter hostes et cives, Christum venientem ad redimendos homines, inducunt quasi duces cataphractum, qui divino furore actus in homines irruit; atque obvios quosque deturbat, proterit, trucidat. Sic enim canit Balaam. Num. 24, 17, de Christo Salvatore: *Percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*, id est, omnes homines; hi enim prognati sunt ex Adam per Seth. Et Psaltes Psal. 109, 6: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terrâ multorum, de torrente in viâ bibet*; et Isaia c. 61, describit Christi consolationem et redemptionem, cap. verò 65, ejusdem ultionem: *Conculcavi, inquit, eos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione meâ, et detraxi in terram virtutem eorum. Dies enim ultionis in corde meo; ac mox subjungit: In dilectione suâ, et in indulgentiâ suâ, ipse redemit eos, etc.*

Causa hujus rei et phrasid est duplex: prior, quia utraque libertas temporalis, que spiritalem humani generis quasi typus præcessit, videlicet Egyptia et Babylonia (ad hæc enim alludunt) non sine sanguine et cæde hostium, puta Egyptiorum in mari Rubro, et Chaldæorum per Cyrum, parsa et peracta fuit. Posterior, quia in hæc Christi ultione et redemptione, idem sunt hostes et amici debellati et liberati, necet et redempti, sed ingenio, moribus et affectu dissimiles. Qui enim prius erant infideles et impij, per Christum

facti sunt fideles et pii. Christus ergo occidit gentes et homines, et alios, imò eosdem suscitavit, quia v. g., occidit Petrum idololatram, ebrium, adulterum; et eundem suscitavit, fecitque Petrum deicolam, sobrium, castum, etc. Pro quo

Nota. Peccator duplicem refert personam et duplici quasi naturâ subsistit, puta hominis et demonis, sive vitii et peccati; illa est militis, ista hostis Christi;

illa erat liberanda, ista debellanda; ad illam pertinet annus remissionis, ad istam dies vindicte; illa comparatur Israelitis redemptis, ista Egyptiis et Babyloniis trucidatis. Sic ergo furor Christi contra demonem ejusque assecas, scilicet vitia, militat, eaque ab homine expellit, ut regnum Dei in homine collocet, hominemque sibi et Deo restituat.

IN GENESIM

COMMENTARIUM.



Inscribitur hic liber hebraicè de more à primâ libri voce *beræcî*, id est, in principio; græcè et latinè vocatur *Genesis*. Enarrat enim generationem, id est, creationem, sive natales mundi et hominis, ejusque lapsus, propagationem et gesta, maximè patriarcharum Noe, Abraham, Isaac, Jacob et Joseph: complectiturque *Genesis gesta annorum 2510*; tot enim interfuerunt ab Adamo et à mundi creatione usque ad mortem Josephi, in quâ finitur *Genesis*, ut patet, et addas annos patrum in hæc chronologiâ; nam

Ab Adam ad diluvium fluxerunt anni 1656. A diluvio ad Abraham anni 292. Anno 100 Abraham natus est Isaac; Genes. 21, 4. Anno 60 Isaac natus est Jacob; Genes. 25, 26. Anno 91 Jacobi natus est Joseph, ut ostendat Genes. 50, v. 25.

Joseph vixit annos 110; Genesis 50 v. 25. Adde hos annos, invenies ab Adamo ad mortem Josephi annos 2510.

Dividi potest *Genesis* in quatuor partes, quas totidem tomis divisit et prosecutus est Pererius. Prima complectitur gesta ab Adam usque ad diluvium; *Genesis* 7. Secunda continet gesta à Noe et diluvio usque ad Abraham, puta ea que narrantur à cap. 7 usque ad cap. 12. Tertia continet gesta Abraham à cap. 12 usque ad Abraham mortem; Genes. 25. Quarta à cap. 25 usque ad finem *Geneseos* complectitur gesta Isaac Jacobi et Josephi finiturque in morte Josephi.

Scripturæ in *Genesim* Origenes, S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Procopius, Chrysostomus, Eucherius, Rupertus, et alii. S. Ambrosius post S. Basilium scripsit lib. *Hexameron*, item lib. de Noe, de Abraham, de Isaac, Jacob, Joseph, etc. B. Cyrillus scripsit libros 5 quibus adde ejusdem Glaphyra, id est, exsculpta, q. d., pauca è multis selecta, quibus non litteralem, sed mysticum ferè sensum persequitur. Extant ea manuscripta, quibus ego usus sum, eaque post cum aliis edidit noster P. And. Schottus. Scripsit etiam Albinus Flaccus quest. in Gen. Scripsit quoque in priora capita Gen. Julinius episc. africanus, qui extat tom. 6 Biblioth. SS. Patrum. Scripsit insuper Anastasius Sinaita monachus, ac postea

Antiochie episc. et martyr, an. Domini 600 undecim libros *Hexam. in Genes.* in quibus alleg. de Christo et Ecclesiâ prima *Genes.* capita exponit. Extant in appendix Bibliothec. SS. Patrum. Scripsit et Thomas doctor, non sanctus ille Angelicus, sed Angelicus, puta Eboracensis doctor sub an. Christi 1400. Anglici enim hæc esse, non Angelici Doctoris, testis est S. Antoninus, et Sixtus Senensis lib. 4 Bibliothecæ sanctæ, licet S. Thomæ Aquinatis hæc adscribere coeuerit Antonius Senensis qui primus ea edidit: et quia vulgò hec nomine S. Thomæ citantur, nos quoque ita loquemur, ne quis alium alique non citare putet. Scriperunt quoque in *Genesim* post Lyrannum, Hugonem, Dionysium Carthusianum, recentiores permulti inter quos excellit varietate doctrinæ Pererius. Scripsit olim præ cæteris prolixè, magno singulorum examine et judicio, Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis, cui meriti hoc datur elogium:

*Hic stupor est mundi, qui scibile disculit omne. mortuus est enim anno ætatis quadragesimo. Denique scripsit nuper in cap. 1 Geneseos duos ingentes tomos Ascianus Martinengus Brixianus, quos glossam magnam in *Genesim* inscribit, in quâ catenam à Patribus et Doctoribus textit, ac questiones omnes incidentes fusè discutit.*

Verum quia de S. Scripturâ verissimum est illud: *Ars longa, vita brevis*; hæc de causâ, que alii fusè dixerunt, ego in pauca constringam, et impensè brevitatè expè ac soliditatè et methodo studebo: ideòque moralia præclariora tantum intexam, et subinde ad auctores, qui fusius ea pertractant remittam: atque hic semel universim concionator, omnesque qui moribus inhiant, monitos velim, ut legant S. Chrysostomum, Ambrosium, Origenem, Rupertum, Rabanum, Hieronymum ob Oleastro, Pererium, Hamerum, Caponium, et Joannem Ferrum, qui tamen cum grano salis legi debet: valde enim fidem extollit, quod propter Lutherum et Calvinum hoc tempore periculosus est. Denique legant Dionysium Carthusianum qui singula ferè moraliter applicat et explicat: atque Antonium Honealium canonicum Abulensem

qui piè aequè ac doctè in Genesim commentatur.

Denique, dùm hosec jam dictos citabo, non annotabo locum, subintelligo enim, quod cuique obvium est cogitare, ipsos in hunc locum quem tracto id dicere, aliàs ordinariè locum annotabo. In opere autem Hexameron Genes. 1. loca non annotabo, quia omnes sciunt interpretes illud ibidem tractare. Scholasticos verò in 2 Sent. dist. 12 et sequent. aut p. 1. q. 66 et seqq. Jam quia nonnulli Patres et Doctores verbis sunt

CAPUT PRIMUM.

1. In principio creavit Deus cœlum et terram.
2. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi: et Spiritus Dei ferebatur super aquas.
3. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.
4. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: et divisit lucem à tenebris.
5. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem: factumque est vespere et mane, dies unus.
6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis.
7. Et fecit Deus Firmamentum, divisitque aquas que erant sub firmamento, ab his que erant super firmamentum. Et factum est ita.
8. Vocavitque Deus firmamentum, cœlum: et factum est vespere et mane, dies secundus.
9. Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, que sub cœlo sunt, in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita.
10. Et vocavit Deus aridam, terram; congregatio- nesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quòd esset bonum.
11. Et ait: Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.
12. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum.
13. Et factum est vespere et mane, dies tertius.
14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos:
15. Ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita.
16. Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præcesset diei, et luminare minus, ut præcesset nocti, et stellæ.
17. Et posuit eas in firmamento cœli, ut luceant super terram.
18. Et præcesset diei ac nocti, et dividerent lu-

profuli et prelixi, ego verò breviloquus sum, ne opus nimis exerescat, et lector defatigetur; hæc de causâ subinde verba eorum redundantiâ et iteratâ successio, ac nonnullis intermediis omissis, seligito connectoque ea que nervum et pondus majus habent: itaque omnem eorum succum extraho, eumque in pauca ipsorummet verba contraho, ut legentium et temporari et gestui commodisque consulam.

CHAPITRE PREMIER.

1. Au commencement (1) de tous les temps, Dieu, qui de toute éternité avait résolu de faire de rien les choses qu'il a faites, créa le ciel et la terre.
2. La terre, en sortant du néant, était informe et toute nue, sans arbres, sans fruits, et sans aucuns ornements; les ténèbres couvraient la face de l'abîme d'eau où la terre était comme absorbée; et l'esprit de Dieu était porté sur les eaux, les disposant à produire les créatures qu'il en voulait former.
3. Or, Dieu voulant tirer cette matière informe des ténèbres où elle était ensevelie, dit: Que la lumière soit faite. Et à l'instant la lumière fut faite.
4. Dieu vit ensuite que la lumière était bonne et conforme à ses desseins; ainsi il l'approuva; et il sépara la lumière d'avec les ténèbres, ordonnant qu'elles se succédassent l'une à l'autre.
5. Il donna à la lumière le nom de jour, et aux ténèbres le nom de nuit. Et du soir et du matin se fit le premier jour.
6. Dieu dit aussi: Que le firmament soit fait au milieu des eaux, et qu'il sépare les eaux de la terre, d'avec les eaux du ciel.
7. Et Dieu fit le firmament; et il sépara les eaux qui étaient sous le firmament, de celles qui étaient au-dessus du firmament. Et cela se fit ainsi.
8. Et Dieu donna au firmament le nom de ciel. Et du soir et du matin se fit le second jour.
9. Dieu dit encore: Que les eaux qui sont restées sous le ciel, et qui couvrent la face de la terre, se rassemblent en un seul lieu, et que l'élément aride paraisse. Et cela se fit ainsi.
10. Dieu donna à l'élément aride le nom de terre; et il appela mers toutes ces eaux rassemblées. Et il vit que cela était bon et conforme à ses desseins.
11. Dieu dit encore: Que la terre produise de l'herbe verte qui porte de la graine, et des arbres fruitiers qui portent du fruit, chacun selon son espèce, et qui renferment leur semence en eux-mêmes pour se reproduire sur la terre. Et cela se fit ainsi.
12. La terre produisit donc de l'herbe verte qui portait de la graine selon son espèce, et des arbres fruitiers qui renfermaient leur semence en eux-mêmes, chacun selon son espèce. Et Dieu vit que cela était bon et conforme à ses desseins.
13. Et du soir et du matin se fit le troisième jour.
14. Dieu dit aussi: Que des corps de lumière soient faits dans le firmament du ciel, afin que, par l'éclat de leur état, ils séparent le jour et la nuit; et que, par leurs mouvements réglés, ils servent de signes pour marquer les temps et les saisons; les jours et les années.
15. Qu'ils luisent dans le firmament du ciel, et qu'ils éclairent la terre. Et cela fut fait ainsi.
16. Dieu fit donc deux grands corps lumineux, l'un plus grand pour présider au jour, et l'autre moindre pour présider à la nuit. Il fit aussi les étoiles.
17. Et il les mit dans le firmament du ciel, où il les créa, pour luire sur la terre.
18. Or, Dieu fit ces corps de lumière pour présider au jour et à la nuit, et pour séparer la lumière d'avec l'obscurité.

(1) Vide in principio Exodi brevem notationem biograp. de Carriero, lujus versionis auctore.

- cem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum.
19. Et factum est vespere et mane, dies quartus.
 20. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli.
 21. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas, et volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum.
 22. Benedixitque eis dicens: Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, aveque multiplicentur super terram.
 23. Et factum est vespere et mane, dies quintus.
 24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terre secundum species suas. Factumque est ita.
 25. Et fecit Deus bestias terre juxta species suas, et jumenta et omne reptile terre in genere suo; et vidit Deus quòd esset bonum.
 26. Et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: et prosit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ; omnique reptili quod movetur in terrâ.
 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculinum et feminam creavit eos.
 28. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animantibus que moventur super terram.
 29. Dixitque Deus: Ecco dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna que habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.
 30. Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis que moventur in terrâ, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.
 31. Viditque Deus cuncta que fecerat; et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.

COMMENTARIUM.

DE OPERE PRIMI DIEI.

Vers. 1. — IN PRINCIPIO. Primò, S. Augustinus lib. 1 de Genesi ad lit. c. 1 Ambrosius et Basiliiu homilia 1. Hexam. In principio, inquit, id est, in Filio; per Filium enim quasi ideam et sapientiam Patris omnia esse creata docet Apostolus Coloss. 1, v. 16. Verùm hæc expositio mystica est et symbolica. Secundo et melius ad litteram, iidem Augustinus, Ambrosius et Basiliiu ibidem, et Concilium Lateran. cap. Firmiter, de summâ Trinitate et fide catholica: In principio, inquit, id est, in primordio seu initio, non aternitatis, non avi, sed temporis et mundi, quando nimirum simul cum mundo cepit mundi duratio, puta tempus. Licet enim initio mundi non esset

les ténèbres. Et Dieu vit que cela était bon et conforme à ses desseins.

19. Et du soir et du matin se fit le quatrième jour.
20. Dieu dit encore: Que les eaux produisent des animaux vivants qui nagent dans l'eau, et des oiseaux qui volent sur la terre, sous le firmament du ciel.
21. Dieu créa donc les grands poissons et tous les animaux qui ont vie et mouvement dans les eaux, que les eaux produisirent par son ordre, chacun selon son espèce; et il créa aussi tous les oiseaux que les eaux produisirent de même, chacun selon son espèce. Et il vit que cela était bon et conforme à ses desseins.
22. Et il les bénit, en disant: Croissez et multipliez-vous, et remplissez les eaux de la mer; et que les oiseaux se multiplient aussi sur la terre.
23. Et du soir et du matin se fit le cinquième jour.
24. Dieu dit aussi: Que la terre produise des animaux vivants, chacun selon son espèce, les animaux domestiques, les reptiles et les bêtes sauvages de la terre, selon leurs différentes espèces. Et cela se fit ainsi.
25. Dieu fit donc les bêtes sauvages de la terre, selon leurs espèces, les animaux domestiques et tous les reptiles, chacun selon son espèce. Et Dieu vit que cela était bon et conforme à ses desseins.
26. Il dit ensuite: Faisons l'homme à notre image et à notre ressemblance; donnons-lui un esprit intelligent, immortel, capable de connaître et d'aimer; et qu'il commande aux poissons de la mer, aux oiseaux du ciel, aux bêtes, à toute la terre et à tous les reptiles qui se remuent sur la terre.
27. Dieu créa donc l'homme à son image; il le créa à l'image de Dieu, l'ayant rendu capable de bonté, de connaissance et d'amour; et il les créa mâle et femelle, comme on le dira dans la suite.
28. Et Dieu, après les avoir créés, les bénit, et il leur dit: Croissez et multipliez-vous; remplissez la terre et soyez l'assujétissez; et dominez sur les poissons de la mer, sur les oiseaux du ciel, et sur tous les animaux qui se meuvent sur la terre.
29. Dieu leur dit encore: Je vous ai donné toutes les herbes qui portent leur graine sur la terre, et tous les arbres qui renferment en eux-mêmes leur semence, chacun selon son espèce, afin qu'ils vous servent de nourriture à vous.
30. Et à tous les animaux de la terre, à tous les oiseaux du ciel, et à tout ce qui se meut sur la terre, et qui est vivant et animé, afin qu'ils aient de quoi se nourrir. Et cela se fit ainsi.
31. Dieu vit toutes les choses qu'il avait faites, et il les approuva, parce qu'elles étaient très-bonnes, étant conformes aux desseins de sa sagesse et de sa bonté. Et du soir et du matin se fit le sixième jour.

tel temps quale jam est: jam enim tempus nostrum est mensura motus primi mobilis, solis et cœlorum; tunc autem necdum erat primum mobile, sol et cœli, et consequenter necdum erat eorum motus, qui tempore mensurari posset: erat tamen tunc duratio rei corporeæ, puta cœli et terre, que similis et commensa erat temporis nostro, ac proinde reipsa erat tempus: res enim corporeæ mensurantur tempore, sive ipsa moveantur, sive quiescant; tempus enim est mensura corporum, sicut avum est angulorum, et æternitatis dei. Aristotelis tamen loquendo tempus saltem naturâ posterius est motu et corpore mobili. Unde S. August. in Sententiis num. 280: Facta crea-

tura, inquit, motibus ceperunt currere tempora. Unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante ipsa tempora. Motus enim si nullus esset, vel spiritalis, vel corporalis creaturae, quo per praesens praeteritis futura succederent; tempus nullum omnino esset. Moveri autem creatum non utique posset, si non esset. Potius ergo tempus à creatura, quam creatura caput est tempore: utrumque autem ex Deo. Ea ipso enim, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.

Nota Deum creasse caelum et terram non in tempore, sed in principio temporis, id est, in primo temporis momento, puta in primo mundi instanti. S. Basilii et Beda putant caelum et terram non primo die, sed paulò ante primum diem, utpote ante lucem, creata esse. Verum hæc non ante, sed ipso primo die, puta initio primæ diei, antequam lux produceretur, creata esse, patet Exodi 20, v. 4.

Tertiò et simplicissimè: *In principio*, id est, ante omnia, ita ut nihil Deus creárit prius, vel ante caelum et terram. Sic Joannis 1, v. 1. dicitur: *In principio erat Verbum*, quasi diceret: Ante omnia, puta ab aeterno, erat Verbum. Hunc sensum affert quoque S. Augustinus supra.

Uterque hic sensus genuinus est et literalis: et ex secundo contra Platonem, Aristotelem et alios patet mundum non esse aeternum. Ex tertio patet Angelos, non ante mundum corporeum, sed simul cum eo à Deo creatos esse, ut docet concil. Lateran. inferius citandum.

Tribus hisce alias explicationes addunt veteres. Quartò ergo, *in principio*, id est, in principatu, seu in potentia regía (hanc enim significat quoque græcum *ἀρχή* unde *ἀρχæ*; vocantur principes et magistratus) Deus fecit caelum et terram, inquit Tertul. lib. contra Hermogenem. Sic et Procopius: *Deus*, inquit, *qui est rex regum, et planissimè sui juris existens, nec aliunde pendens, cunctaque pro suo arbitrio administrans, excitavit hoc universum simul cum speciebus et formis; inò et materiam ipse depræcipit, nec aliunde eam mutatus est.*

Quintò, Aquila pro *in principio*, vertit, in *capite*, id est, summam, simul omnia comprehensim, seu acervatim. Quasi enim creans caelum et terram, in iis simul quæ reliqua omnia creavit summam. Ex iis enim cætera postmodum efformavit. Hebræum enim *rescili*, id est, principium, deductur à *ros*, id est, caput.

Sextò, S. Ambrosius et S. Basilii homil. 1 Hexam. *in principio*, inquit, id est, in momento, citra omnem etiam minimam temporis morulam, nam impartibile est principium. Sicut enim principium viae non est via, sic principium temporis non est tempus, sed instans.

Septimò, *in principio*, id est, ut res principales, præstantiores et primordiales; ita S. Ambrosius, Procop. et Beda.

Octavò, *in principio*, id est, prima, tanquam fundamenta et bases universi, inquit S. Basilii et Procop. Sic dicitur: *Principium sapientiæ timor Domini*, est enim

timor fundamentum sapientiæ, et primus ad eam gradus. Denique Junilius hic *et*, inquit, *in principio*, notat Dei aeternitatem et omnipotentiam. *Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora aeternaliter existens designat: et quem ipso conditionis initio caelum et terram creasse narrat, tantà celeritate operationis omnipotentem esse declarat.*

CREAVIT. Propriè scilicet ex nihilo, ex nullà materiâ præexistente. Ita sancta illa mater Machabæorum 1, 9, c. 7 ad filium: *Peto, ait, note, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* Secundo, *creavit*, scilicet solus, ut ait Jsaías c. 44, v. 24, per se suamque omnipotentiam; non per angelos, utpote qui necdum erant, et etiam fuissent, creationis tamen non possunt esse administrari. Tertio, *creavit*, secundum ideam et exemplar, quod ab aeterno mente suâ conceperat, tunc enim Deus erat.

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimum ipse, ut canit Boetius lib. 5 de Consolat., metro 9. Quartò, *creavit caelum*, non quòd illo indigeret, sed quia bonus est, et quia voluit hæc ratione Deus bonitatem suam mundo et hominibus communicare. Decebat enim, ut à bono Deo bona opera fierent, ait Plato; et ex Platone S. August. lib. 11, de Civit. 21. Quare *pulchrè* idem Augustinus 1 Confess. 1: *Fecisti, inquit, nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te; et: Cælum et terra clamant: Domine, ut amemus te.*

Nota. Creare apud Ciceronem et gentiles est generare: apud Græcos verò idem sunt creatio et conditio. Verum in S. Scripturâ creare cum dicitur de nihilo aliquid facere. Ita S. Cyrillus lib. 5 Thesauri cap. 4. S. Athanas. in Epist. quæ Synodi Nicenæ decreta contra Arianos inscribitur; S. Justinus in Admonitione, Rupertus lib. 1 in Genes. cap. 3. Beda et Lyra hic. Nam, ut docet D. Thom. 1, p. q. 71, a. 5 emanatio universalis rerum omnium non nisi ex nihilo fieri potuit.

Hieronymus ab Oleastro hebræum *bara* verit, *divisit*; unde sic ipse transfert: *In principio divisit Deus caelum et terram.* Putat enim ipse Deum primò omnium creasse aquas cum terrâ, easque maximas et vastissimas, atque ex eis deinde produxisse coelos (quod hic tacet et presupponit Scripturâ) ac denique eas à terrâ et aquis divisisse, idque hic tantum exprimit. Verum hoc argumentum ab omnibus patribus et doctoribus rejicitur, qui *bara* verunt, *creavit*. Hoc enim propriè significat, nusquam enim significat *divisit*, ut sciunt hebraici docti. Nam Moses hic primam mundi motionem et productionem describit, ab eâque Genesens, id est, natalium mundi, historiam orditur. Loca similia quæ ex Josue et Ezechiele pro se citat Oleaster, nil probant. Ibi enim *bara* non dividere, sed succidere et destruere significat. Est enim unum ex iis quæ sunt contrariæ significationis.

Tropologicè, tripliciter contemplantur sunt creaturae. Primò, considerando quid sint ex se, nimirum nihil, quia ex nihilo facte sunt, et ex se in dies mutantur, et ad nihilum teadunt. Secundò, considerando

quid sint ex dono Creatoris, scilicet bonæ, pulchrae, stabiles et aeternæ, itaque opificis sui imitentur stabilitatem. Tertio, quòd Deus iis utatur ad hominum punitionem et præmiationem. Sic adimus omnem creaturam hæc tria nobis inclamantem: *Accipe, reddes, fuge*; accipe beneficium, reddes debitum, fuge supplicium. Prima vox est famulantis; secunda admonentis; tertia comminantis.

Hinc patet, primò, error Stratonis Lampsaceni, qui mundum ingenitum fuisse, et suapte vi ab aeterno existens fixit. Secundo, error Platonis et Stoicorum dicentium mundum à Deo quidem fuisse conditum, sed ex materiâ aeternâ et ingenitâ; quia hæc materia esset increata Deoque coeterna, ac consequenter esset ipse Deus, ut rectè objicit Hermogeni Tertull. Tertio, error Peripateticorum, assentium Deum non voluntate, nec libere, sed ex naturæ necessitate ab aeterno creasse mundum. Quarto, error Epicuri, docentis mundum fortuitâ atomorum coitione et conjunctione esse productum.

Præclarè S. Augustinus, lib. 11 de Civit. cap. 4: *Mundus ipse*, inquit, *ordinatissimâ suâ mutabilitate et mobilitate, et visibilibus omnium pulcherrimâ specie, quodammodo tacitus, et factum se esse, et non nisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.* Hinc omnes philosophorum scholæ quæ divinus aliquid sapuerunt, nihil esse quod tam arguat et factum esse à Deo mundum, et ejus curâ administrari, consensu unico affirmant, quam aspectum ipsum mundi totius, considerationemque decoris ejus atque ordinis; ita Plato, Stoici, Cicero, Plutarch. et Aristotel. cujus hæc de re argumentum refertur à Cicerone, lib. 2 de Naturâ deorum.

Nota. Deus creavit caelum et terram jubendo et dicendo: *Fiat caelum et terra*, ut expressè habetur 4 Esdræ 6, v. 58; et Psal. 52, v. 6. *Verbo*, inquit, *caeli firmati sunt*, unde infert S. Basilii, quâ potestate, arte, libertate Deus fecit hunc mundum, eâdem potest alios plures creare; rursùm eâdem potest mundum annihilare. Mundus enim respectu Dei est quasi stilla sitube, et quasi gutta roris, ut dicitur Isaie 40, v. 15, Sapient. 11, v. 25, hinc et Deus dicitur tribus digitis appendere molem terre.

Jices: Cur ergo Moses non dicit hic Deum dixisse: *Fiat caelum*, sicut ait eum dixisse, *Fiat lux*? Respond. *Mosen ut potius verbo creavit quam dixit ne populus Judæorum rudis ex verbo, fiat, conceperet materiam præviam, cui Deus dixerit, vel ex quâ caelum et terram producerit.* Ita Rupertus, qui tres causas assignat. Primum, inquit, cum ipsum principium sit Dei Verbum, superfluum et ineptum esset dicere: *In principio dixit Deus.* Secundò, quia nondum erat aliquid cui preceptum fieret. Tertio, dicit *creavit*, non *fiat*, ut materia: omnis creator Deus evinceretur.

Deus. Errant ergo Simon Magus, Arius, et alii, dicentes, quòd Deus creárit Filium; Filius verò creárit Spiritum sanctum; Spiritus sanctus creárit angelos; angeli mundum. Errant secundò, Pythago-

ras, Manichæi et Priscillianiste, dicentes duo esse principia rerum, sive duos esse Deos: unum bonum, conditorem spirituum; secundum malum, conditorem corporum. Pro Deo hebraicè est *Elohim*, quod deducitur ab *el*, id est, fortis, et *alm*, id est, adjuravit, obligavit, astrinxit; cò quòd Deus suum potentiam, virtutem, et bona omnia et et conservet creaturis; et per hoc eas sibi quasi juramento obstringat ad sui cultum, obedientiam, timorem, fidem, spem, invocationem, gratitudinem.

Elohim itaque dicitur Deus, quâ creator, gubernator, judex, inspector et vindex universorum; hocque nomine Elohim utitur hic Moses, primò, ad hoc, ut sciant homines eundem esse conditorem mundi et judicem, qui, sicut mundum creavit, ita et judicabit, quasi Elohim, id est, judex. Secundo, ut sciant Dei voluntate, judicio, sapientiâ mundum esse conditum à Deo. Tertio, ut sciant cuncta ab eo in justâ lance esse disposita, tributumque esse cuique rei id quod illi quasi debebatur, videlicet quod natura illius, bonumque universi postulabat. Quarto, ut sciant, quòd, uti à Deo creatus est mundus, ita ab eodem conservetur et regatur, ut docet Job c. 54, 18 et seq. et Sapient. 11, v. 25 et sequent.

Quocirca Aben Ezra et Rabbinii dicunt Deum hic vocari Elohim ad declarandum ejus majestatem, tresque, ejus dotes, scilicet intelligentiam, sapientiam, prudentiam, quibus ipse condidit mundum. Alii ad idearum et perfectionem multitudinem quæ in Deo sunt, Mosen respexisse putant. Nota. Deus Mosi revelavit suam nomen *Jehova*. Ante Mosen ergo Deus vocabatur *Elohim*. Unde et serpens ita dum vocavit dicens: *Cur precepit vobis Deus?* hebr. *Elohim*, unde liquet, ab initio mundum Adamum et Evam Deum, vocasse *Elohim*. Ita Beda.

Quid ergo est Elohim? quid est Deus? Primò, Aristotel. vel quisquis est auctor libri de mundo ad Alex.: *Quod*, inquit, *in navi est gubernator, in curru auriga, in choro præceptor, in civitate lex, in exercitu imperator: hoc idem in mundo est Deus, nisi quòd in illis principatus est laboriosus, perturbatus et anxius; in Deo vero est facilis, ordinatus et tranquillus.* Secundo, S. Leo, serm. 2 de Passione: *Deus*, inquit, *est, cujus natura est bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia.*

Tertio, Aristoteles, vel quisquis est auctor libri de Sapientiâ secundum Ægyptios, l. 12, c. 19: *Deus*, inquit, *est, à quo sunt perpetuitas, locus et tempus, cujusque beneficium permanent: et sicut centrum circuli in seipso est, lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum, itaque ambitus cum punctis in eodem centro existunt: sic quoque naturæ omnes, tam quæ ad intellectum, quam quæ ad sensum pertinent, in agente primo (in Deo) consistunt et confirmantur.* Quartò, Deus est ipsa providentia rerum omnium; nam, ut ait S. August., l. 5 de Trinit. c. 4, *nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori invisibilitate atque intelligibilitate aucti summi imperatoris, aut jubentis, aut permittitur, secundum ineffabilem justitiam præriorum atque penarum, gratiarum et retributionum. in istâ totius creaturae amplissimâ quiddam in-*

mensaque republica. Quinto, idem S. August. : Si videris, inquit, bonum angelum, bonum hominem, bonum cœlum; tolle angelum, hominem, cœlum; et quod reliquum est, bonorum essentia est, id est, Deus. Hinc, sexto, rex quidam gentilis dixit Deum esse tenebras post omne lumen, eumque mentis ignorantia cognoscit.

Septimo, Elohim est, qui attingit à fine usque ad finem forsit, et disponit omnia stantier, ut ait sapiens. Octavo, Elohim est, in quo vivimus, movemur et sumus; Actor. 17, 28. Nondè, Deus, ait S. Aug. in Meditat., est quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis; nec intellectus, quia investigabilis; nec sensus percipit, quia invisibilis; nec lingua enuntiat, quia ineffabilis; nec Scriptura explicat, quia inexplicabilis. Decimo, Deus, ait S. Nazianz., tract. de Fide, est quod cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa definitione credit; quia cœlum manu sua cooperit, pugno omnem mundum ambitum concludit; quem omnia nesciunt, et metuendo sciunt; cuius nomini et virtuti famulari hic orbis, et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet. Undecimo, Deus est, qui tribus digitis appendit molem terræ, qui mensus est pugilo aquas, et celos palmo ponderavit. Ecce gentes (coram eo) quasi stilla stitule, et quasi momentanea statera reputata sunt, insula quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficit ad succedendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ. Isaie 40, v. 12, 15, 22. Duodecimo, Deus est de quo ait Sapiens c. 11, 25 : Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta rosis antelucani quæ descendit in terram. Decimo tertio, materia subtilior est aer, aere anima, animâ mens, mente ipse Deus, ait Mercur. Trimegist.

Nota. Elohim est numeri pluralis; in singulari enim dicitur Eloah : hujus rei causa est, primo, quod Hebræi res magnas, et magnates honoris causâ compellent numero plurali : uti faciunt et Latini, dicentes, v. g. : Nos, Philippus, rex Hispan. Sic Job 40, 10 clephas vocatur Behemot, id est, bestie, quia propter magnitudinem corporis et virium, est instar multarum bestiarum, ut docent Hebræi. Secundo, plurale Elohim significat plurimum, summam et immensam Dei fortitudinem et potentiam creandi, gubernandi et judicandi. Tertio, Elohim plurale inquit in Deo pluralitatem personarum, sicut unitas essentie in Deo innuitur per verbum singulare baræ, id est, creavit, ut contra Cajetanum et Abulens. docent Lyran. Burgens. Galatinus, Engobinus, Catharinus, Magister et Scholastici l. 2 Sent. dist. 1.

Hæ itaque sunt quatuor causæ creationis et creaturarum, puta cœli et terræ : scilicet materialis, est nihilum; formalis, est forma cœli et terre; efficiens, est Deus; finalis, est bonum, non Dei, sed nostrum. Creaturæ ergo omnes per totam æternitatem laterunt in suo nihilo, et in suis ideis in mente divinâ, sed in tempore productæ sunt propter hominem. Deus enim,

qui per omnem suam æternitatem in seipso fuerat beatissimus, iis nullo modo beator aut ditior effectus est, sed per eas volebat se effundere in creaturas et hominem sicut mare redundans seipsum in litus effundit.

Condidit ergo Deus mundum ad hoc, primo, ut homini regiam domum, imò regnum prepararet. Secundo, ut eidem theatrum rerum omnium, ac paradysum voluptatum quarumlibet exhiberet. Tertio, ut librum ei præberet, in quo ipse creatorem suum videret et legeret.

CŒLUM ET TERRAM. Primo, S. Aug., lib. 1 de Gen. contra Manich. c. 7. Cœlum et terram, inquit, hic vocatur materia prima, eò quod ex illâ cœlum, die secundo, et terra, die tertio producenda esset : sed non est probabile materiam solam sine formâ creatam esse, nec talis vocari posset cœlum. Audi ipsam Aug. : Informis, ait, illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primo cœlum et terra, non quia jam hoc erit, sed quia hoc esse poterat. Nam et cœlum scribitur postea factum : quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia; non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt.

Verùm idem Aug., lib. 1 de Gen. ad liter., c. 14, addit hanc materiam eodem instanti temporis fuisse sub formâ donatam et ornatam. Itaque hic ejus creationem tantum nominari, quia naturâ, non tempore, suam formam antecessit. Huic vicina est Gregorii Nysseni expositio, qui per cœlum et terram accipit chaos unâ universali, communi radice firmâ congestum, ex quo elicienda essent corpora cœlestia, et elementaria cuncta. Secundo, idem Aug., lib. 11 de Civ., c. 9, per cœlum accipit angelos; per terram verò materiam primam informem. Sed prius est mysticum, posterius pariter improbabile. Tertio, Pererius, Gregorius de Valentia, tract. de Opere sex dierum, et alii probabiliter per cœlum intelligunt omnes orbis celestes : per terram verò, terram ipsam cum aquâ, igne, et aere vicino : quasi primo mundi die Deus omnes orbis celestes et elementares creaverit, eosque sequentibus quinque diebus motu, luce, astris, influentiis, et intelligentiis motoribus tantum exornaverit. Quarto, maximè probabile est, per cœlum hic intelligi primum et summum, scilicet empyreum, quod Paulus vocat cœlum tertium, David cœlum cœli, quodque sedes est beatorum; uti passim omnes docent contra Eusebium, qui putat cœlum empyreum non esse corpus celeste, sed esse claritatem quandam increatam, corpus visione reddantur anime beate, claritatem, inquam, ex Dei essentia manentem. Primo itaque die Deus ex cœlis tantum creavit cœlum empyreum, illudque omni suo decore exornavit et perfecit. Ad hoc enim inhabitandum in æternum, creati sunt postea angeli et homines. Et hoc ab omni ævo fideles vocant cœlum; et, si roges eos quò cupiant ire post hanc vitam, mox dicant : In cœlum, scilicet empyreum, ut ibi sint felices et beati. Unde Sanct. Chrysost. hic homil. 2 : Deus, ait, præter humanum morem suum perficiens ædificium, prius cœlum extendit, postea et terram substermit; prius

cœlum, et postea fundamentum : culmen enim fabricæ mundi est cœlum, non sidereum, sed empyreum. Et S. Basil. hom. 1 Hexam., ait, cœlum et terram quasi fundamenta quoddam, et bases fulcrales universi, prius jacta fuisse et præstructa.

Probat hæc sententia primo, quia firmamentum, id est, cœlum octavum et orbis vicini, non tantum ornatu, sed reipsâ facti et creati sunt die secundo, ut patet v. 6; ergo non primo. Cœlum ergo primo die creatum, non est aliud quam empyreum. Est hæc sententia B. Clementis, accepta ex ore S. Petri, ut ipse ait l. 1 Recognit. Origenis hic homil. 1, Theodoretii, Alcuini, Rabbani, Lyrani, Philonis lib. de Mundi opificio, S. Hilarii in Psal. 135, Theophili Antiocheni ad Autolycum l. 2; Junilii, Bedæ, Abulens., Catharini, Stravi in Glossâ ordin. hic, S. Anselm. l. 1 de Imagine mundi cap. 28, S. Bonavent. in 2, dist. 12, Rupertii l. 1, in Genes. c. 6, Guillelmi Paris. 1, p. 1, de universo c. 31 et 40, Alex. Alensis p. 5 : Summæ Theologicæ q. 45, memb. 2, Hugon. Victor. in sent. tract. 2, c. 1, Bruno Carthus. Patriarchæ l. 1 de novis. c. 2, Lud. Molinae l. p. q. 86, sub initium operis primæ diei mundi, et aliorum; adeò ut S. Bonavent. hanc sententiam asserat esse communiorum, Catharinus verò esse verissimam. Secundo hæc sententia pluribus probatur proximo paragrapho.

ET TERRAM. Puta globum terræ cum abisso, ut sequitur, id est, aqurum mole, terræ infusâ et superfusâ, seseque porrigente usque ad empyreum. Hæc ergo tria primo omnium creata sunt, scilicet cœlum empyreum, terra et abissus, id est, aqurum moles omnia occupans à cœlo empyreo usque ad terram; ex quâ abisso, sive aquâ, partim extenuatâ, partim densatâ atque solidatâ facti sunt cœli omnes, sive firmamentum die secundo, et omnia astra die quarto : perinde ac ex aquâ congelatâ fit crystallus. Est hæc sententia S. Petri et Clementis lib. 1, Recogn. circa medium, S. Basilii homil. 1 Hexam. Bedæ, Molinae 1 parte tract. de Opere sex dierum, sub initium, et aliorum plurimum quos citabo v. 6.

Probat hæc sententia primo, quia cœlum hic intelligitur non sidereum, sed empyreum, ut dixi; inter hoc autem et terram non fuit vacuum : hoc enim inane fuisset ingens et immane, atque contra naturam. Fuit ergo inter empyreum et terram corpus aliquod, aqua scilicet, vel, ut Moses ait, abissus, id est, sine fundo aqua, impenetrabilis, immensa, ut rectè infert Beda et alii. Secundo, quia secundo die factum est firmamentum ad hoc, ut aquas superas ab inferis divideret; ergo antea, primo die, omnia supra et infra plena erant aquis. Tertio, quia ideò dicitur, quòd spiritus Domini ferebatur super aquas, non super terram, ut mox dicam. Quarto, id magis patebit v. 6; imò ideò v. 6 cœli hebraicè vocantur scamain, quasi dicas, scamainam, id est, ibi aquæ; eò quòd ante celos omnia plena essent aquis, ex quibus facti sunt cœli et firmamentum, ad dividendum aquas superas ab inferis.

Atque hinc consequitur veriorum esse sententiam eorum qui censent eandem esse materiam cœlorum

et sublunarium, eamque corruptibilem : tam enim cœli quam sublunaria, facta sunt ex eadem aqurum abisso. Ita docent Clemens roman., Hippolytus, Severianus, Gennadius, Acacius in catenâ Greecorum, Theodor. hic q. 11. Hieron. ad Oceanum, Cyril. Hierosol. catech. 5 et 9. Lud. Molina, et alii. Erant enim Averroës et post eum Gabriel et Capreolus, dicentes, celos esse corpora simplicia, et carere materiâ. Porrò terra à Deo creata locata est. in medio universi, ibique firma consistit : tum quia voluntas et potentia Dei eam quasi pilam in medio aere suspensam constanter tenet et firmat, juxta illud quod ait Sapiencia æterna Prov. 8. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erant cuncta componens; tum ex physica ratione, quia scilicet terra inter creata est gravissima, ideòque immo poscit locum : in eo, ergo, quasi sibi conaturali, quiescit. Si enim ex eo moveretur quacumque in partem, necessariò deberet ascendere et ferri sursum. Hoc autem est contra ejus naturam. Audi S. Basil. hom. 1 Hexam. : Quidam interpretes naturâ terram persistere immobitem tales ob causas contentant, mirum quod mediam regionem universi occupaverit, quòdque æqualem undequaque ad extrema elongationem sortita, non jam habeat in quam potius devertat partem, aut se inclinet. Cum enim similis parva æqualitas omni ex parte ipsam ambiens, impossibilem inclinationem inducat ipsi terræ in unam aliquam partem, necessariò in seipsâ permanet. Præclare S. Chrysost. hom. de Jejunii, et Genesios lectione, tom. 1. Patriam, inquit, tibi, et nutriment, et matrem, et mensam, et domum possit terram; sed et sepulcrum tibi hæc eandem dedit. Nam et corpora nostra ex ipsâ sunt, et ex ipsâ etiam corporum nutrimenta, et ex ipsâ quoque et in ipsâ nostra habitatio est, et post mortem in ipsam rursum redimus.

Quæres, ubi et quando creati sunt angeli? Putarunt aliqui eos creatos esse ante mundum; ita senserunt Origen., Basil., Nazianz., Ambr., Hieron., Hilarius. Alii putarunt eos creatos esse post mundum; ita censentur Acacius et Gennadius in catenâ. Verùm dico eos simul cum mundo, in principio temporis esse conditos; idque in cœlo empyreo : sunt enim ejus ejus et incolæ; ita cum S. Augustino, Gregor., Ruperto, Beda docent Magister et Scholast. Unde S. Nazianz. orat. in Christi nativitate : Angeli, ait, prodierunt à Deo sicut radii à sole : et ait S. Gregor., l. 31 Mor. c. 19, eruperunt tanquam scintille à silice. Imò concil. Lateran. sub Innocent. III : Firmi, inquit, fide credendum est, Deum ab initio temporis simul utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam et mundanam. Quæ verba licet D. Thomas et aliqui alii putent alteri accipi posse, scilicet quasi obiter dicta de angelis, propriè verò dicta contra Origen., qui censuit animas creatas esse ante corpora, tamen nimis diserta et clara videntur quàm ut aliò torqueri possint : unde videtur hæc nostra sententia jam non tantum esse probabilis, sed et certa de fide; hoc enim asserit et definit ipsum concilium.

Nota. Moses non meminit creationis angelorum, omnia scribebat rudibus et crassis Judæis : iisque ad idolola-

triam pronis, qui facili angelos pro diis coluissent: tunc tamen eos insinuat c. 2, v. 1, cum ait: *Perfecti colorum sunt caeli, et omnis ornatus eorum*: ornatus enim coelorum, sunt stellae et angeli. Haec ergo est vasta bellaque mundi, puta caeli et terrae, machina, quam magnus ille rerum opifex cum initio temporis, in momento ex nihilo produxit. Praclare secundus philosophus interrogatus ab Adriano Imp. ut ex Chronicis Martinianus refert Jacobus Middenopius in quest. Theolog. et Polit. pag. 474: *Quid est mundus?* respondit: *Inaccessibilis cunctibus, aeternus tenor. Quid est Deus? Immortalis mens, incognabilis inquisitio omnia continens. Quid est Oceanus? Mundi amplexus, hospitium fluviorum, fons inebrium. Quid terra? Basis caeli, medullium mundi, fructuum mater, viventium nutritrix. Epicurus vero: Terra, inquit, est Cereris horreum, cellarium viarum.*

VERS. 2. — TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA. Hebraice est, terra erat *tohu vaohu*, id est, terra erat solitudo, sive inane et vacuum: quia terra erat vacua hominibus et iumentis, ut vertit Jonathas Chaldaeus; rursum erat vacua plantis, animalibus, seminibus, gramine, luce, decore, fluminibus, fontibus, montibus, vallibus, campis, collibus, metallis et mineralibus, ad qua naturalem quasi inclinationem habet. Hinc Sapiens 11, dicitur, quod Deus creavit orbem (id est res et species orbis) ex materia invisibili, Graece *ἀόρατος*, id est, informi, inornata, incomposita. Unde 70 hic vertunt, terra erat invisibilis et incomposita; Aquila, terra erat *vanitas et nihil*; Symmachus, terra erat *otosa et indigesta*; Theodotus, terra erat *inane et nihilum*; Onkelos, terra erat *desolata et vacua*. Erat enim terra cum aquarum abyso sibi superflua quasi chaos quoddam inane, rude et indigestum; de quo Ovidius:

*Unus erat toto natura vultus in orbe,
Quem disce chaos, rudis indigestaque moles;
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.*

Quare improbabile est quod censent Gabriel in 2 dist. 12, q. 1, et Marsil. ibidem, chaos hoc, sive, ut Sapiens loquitur, materiam informem fuisse materiam primam, vel solam; vel certe informatam tantum formam quaedam rudi, obscura, generali et communi corporeitate, ita ut tantum esset in potentia ad omnes particulares formas suscipiendas, ut censuit Abulensis. Ex hoc enim Moisi loco constat, primitivum fuisse creatam terram et caelum: ergo materia primitiva creata non fuit forma expers, sed particulari caeli et terrae forma induta et imbuta.

Quaeres, cur Deus caelum et terram creans primo die, illa simul non plene et perfecte exornavit? Respondet: Prima causa est ejus sancta voluntas: congruenda est, quod natura (cujus conditor est Deus) ab imperfectis ad perfecta procedat. Secunda est, ut dicamus res omnes a Deo pendere tam quoad inchoationem, quam quoad exornationem et perfectionem, nihilque in rebus creatis esse tam imperfectum excluso peccato, cujus non sit auctor Deus. Tertia est, ne, si omnia a principio perfecta legerentur, increata puta-

rentur, inquit S. Ambros. l. 1 Hexam. c. 7. Quarta est, ut nos ad imitationem divini operis eundem in operando et proficiendo ordinem servaremus, ait idem Ambrosius.

ET TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI. Puta super aquas et molem aquarum, qua quasi abyssus terram operiebat seseque poriebat usque ad caelum empyreum, ut dixi v. 1; *ἀβύσσο* enim vocatur id quod fundo caret, sive profundum sine fundo, et, ut ait Eustathius: *Abyssus est aqua nimia in finitum hactenus profundam*. Itaque, antequam lux crearetur, obscuritas et caligo omnia occupabat, de qua Dominus Job. 38, v. 9: *Ubi eras, inquit, cum caligine illud (mare) quasi panis infantie obvolerem?* Porro faciem, Hebraei vocant superficiem tam extimam, quam intimam quasi dicat: Tota terra et abyssus haec aquarum nihil omnino habebat lucis, hinc et nihil coloris; sed tota quantae, tam interius, quam exterius, ubique obscura erat, caliginosa et decolor. Quare miris vena videtur quod censet S. Basil. hom. 2 Hexam. tenebras hae fuisse umbram coelorum. *Ut sit umbra*, inquit, *tria concurrant oportet: lux, corpus objectum luci, locus luminis expers. Tenebrae igitur illa mundo circumfusa, propter caelestis corporis umbram subortae sunt*. Nam tenebrae hae fuerunt antequam lux a Deo produceretur: ergo non potuerunt oriri ex umbrâ coelorum. Umbra enim fit eò quod corpus interjicitur inter lucem et locum umbrosorum. Tunc autem nulla erat lux in mundo.

SPIRITUS DOMINI, id est, angelus, ait Cajetan. Mellius Hebraei, Theodoretus, et Tertul. contra Hermog. c. 32. Spiritus Domini, inquit, est ventus a Deo excitatus. Tertiò, optimè et plenissimè, Spiritus Domini est Spiritus sanctus a Deo Patre et Filio procedens, suaque vi, presentia et potentia ventum et auram calidam aspirans aquis. Ita S. Hieronymus, Basilus, Theodor., Athanasius, et penè omnes alii Patres, qui hinc probant divinitatem Spiritus sancti.

FEREBATUR. Novè Cajetan, haec uti alia multa sic explicat: *Spiritus Domini*, id est, angelus, *ferebatur*, id est, movebat aquas, id est, eorum crystallinum et omnes alios coelos, qui hebraice *scamim*, id est, aquae, nominantur.

Verum, nota. Pro *ferebatur*, hebraice est, *merachabeh*, quod, teste S. Basilio, Diodoro et Hieronymo in Quest. hebrae. in Genesim, id est, volucrum, dum super ova et pullos quasi pendulae leniter agitatione alarum se librant, motitant et volitant (unde arabica Biblia habent: *Volitabat, ut ales se gereret, alis se movebat*; chaldaica verò, *insufflabat.*), hisque deinde incubant, calorem aspirant, fovent et animant. Pari modo Spiritus sanctus superferebatur, vel, ut Tertul. legit, *supervehabatur* aquis, non loco aut motu, sed omnia superante ac praecedente potentia, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas et idea artificis, inquit S. Augustinus l. 1 de Genesi ad lit. cap. 7. Haec ergo voluntate ac potentia suâ, cum aurâ calidâ quam à se spargebat, aquis quasi incubabat. Spiritus

sanctus, eisque vim prolificam indehat, ut reptilia, volatilia, pisces et germina, imò caeli omnes ex aquis producerentur.

Hinc Ecclesia in benedictione fontium Spiritui sancto accinit: *Tu super aquas futurus eas ferebaris*. Et Marius Victor:

*Et sacer extensis impendens Spiritus undis,
Altrices animabat aquas, dans semina rerum.*

Hinc spirituum aquas omniaque vegetantem, Plato dixit esse animam mundi, unde Virgil. 6 Aeneid.:

*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agit molem, et magno se corpore miscet.*

Allegoricè, hic significatur Spiritus sanctus aquis baptismi quasi incubans, hisque nos parturiens et regenerans, inquit S. Hieronymus Epist. 85, ad Oceanum.

VERS. 3. — DIXITQUE DEUS, verbo non oris, sed mentis, eoque non notionalis, sed essentialis, et communi tribus personis. Dixit ergo, id est, in mente concepit, voluit, decrevit, imperavit efficaciter, atque imperando reipsa effecit et produxit Deus; puta ipsa sanctissima Trinitas, lucem: Dei enim velle est facere, inquit, S. Athanas. serm. 3 contra Arianos. Appropriatur tamen vox, dicit, Filio. Unde alibi saepe dicit S. Scriptura, per Filium, scilicet quasi Verbum et ideam, omnia esse condita, quia nimirum ipse Filius notionalis et propriè dictum est Verbum, ac consequenter ipsi appropriatur sapientia, ars, idea, sicut Patri potentia, Spiritui sancto verò bonitas attribuitur.

Denique dixit haec Deus post creatum caelum, terram et abyssum, sed durante adhuc eodem ipso die qui primus erat mundi:

FIAT LUX. Nota, in Genesi et creatione mundi, ante omnia formatam esse lucem: quia lux est qualitas nobilissima, laetissima, commodissima, efficacissima et potentissima, sine qua omnia creata et creanda mansissent invisibilia. *De thesauro suis*, inquit Esdras l. 4, c. 6, v. 40, *protulit lumen luminosum, quo appareret opus suum*. Vide S. Dionysium de Divin. num. p. 1, c. 4, ubi triginta quatuor proprietates lucis et ignis recenset, Deo et divinis rebus mirè congruentes. Atque inter cetera docet lucem esse vivam Dei imaginem, ideoque primò à Deo creatam; ut in eâ quasi in imagine se deingeret, et mundo spectabilem exhiberet, juxta illud Dracontii in Hexamer.: *Principium factis lucem dat lucis origo, puta Deus; ex ipso enim bono, ait S. Dionys., lumen est, et bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine exemplar expressum. Ut enim divinitatis omnia superantis bonitas, etc., omnia efficit, vivificat, continet, perficit, estque eorum quae sunt mensura, aeternitas, numerus, ordo, complexus, causa et finis: sic etiam qui clara expressaque divina bonitatis imago est, magnus hic sol, totus lucens omnibus, habetque lucem per omnia diffusam, in omnem hanc mundum radiorum suorum splendorem explicitans, etc.* Deus enim est increata aeterna et immensa lux, quae cum lucem habet et inaccessibilem, omnia tamen illuminat.

Pulehram similitudinem dat S. Basilus hom. 2 Hexam. Sicut, inquit, *in profundam aquae voraginem oleum immittunt, ei loco conciliant et immittunt perspicuitatem; itidem et universi creatur, edito mox verbo lucis, anabilem et peramanem evanescunt mundo inextincti*. Aliam dat S. Ambros. l. 1 Hexam. c. 9: *Unde, ait, mundi ornatus, nisi à luce eorum sumeret? frustra enim esset, si non videretur, etc. Qui adificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias strere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat, explorat: et ea prima est gratia, quae si desit, tota domus deformi horret inculu. Lux est quae reliquos dominus commendat ornatus. Denique Perer. censet primò creatam lucem, quia lux, inquit, generale principaleque est instrumentum causarum coelestium, quo vis omnis siderum omnique defluxus et effectus ad nos defertur, ex quo uno fit in hoc nostrate mundo quicquid à caelo fit.*

Quaeres quanam fuerit haec lux? Resp. primò Caetharin. fuisse solem lucidissimum; nec enim lux haec sola, sed in subjecto, et cum subjecto creata est. Verum sol non primo die, uti lux, sed quarto demum die est productus. Secundo, S. Basil. hom. 6 Hexam., Theod. et Nazianz. orat. in novam Dominicam, putant solem lucis qualitatem hinc sine subjecto fuisse creatam: quae de causâ Nazianzenus lucem hanc spiritalem appellat. Quod nota contra haereticos, negantes in Eucharistia accidentia sine subjecto posse existere. Tertio et optimè Beda, Hogo, Magister, S. Thom. Bonav. Lyrannus, Abulensis et favet S. Dionysius supra, putant lucem hanc fuisse corpus lucidum, sive caeli, quae potius abyssu lucidum partem, quam in crenis uti columnae speciem conformata orbi praefalsit quaeque fuerit instar materiae ex qua postmodum in partes distincta ac divisa, adhaesit, et velut in igneo globos fabricata, sol, luna, et stellae factae fuerint, unde Thomas ait, haec lucem fuisse ipsam solem adhuc informem et imperfectum. Idem asserit Pererius et alii. Quorum antesignanus est S. Justinus in Exposit. fidei. Unde addit: *Nec mihi solem lucem aliam, quam quae prima generata est, esse existimato. Et inferius eandem mysticè adaptando Verbum incarnato: Ut enim, ait, potestquam lux illa primigenia cum solis corpore copulata est, nemo ea alteram ab altero dividere potest: sic in verâ illâ luce, et sancto illo corpore (Verbi incarnati) nemo post unionem illum divinum Verbum ab homine separabit.*

Ubi nota primò, lucem hanc proprie non fuisse creatam, quia Deus primò die creavit omnem materiam primam, eamque substravit formae aquarum abyssi, et ex ea deinde hanc lucem, aliasque formas, tam essentialis quam accidentales eduxit: sicuti modò omnes formae naturales educuntur e potentia materiae. Deus ergo propriè primò die tantum creavit omnia creanda, reliquis verò quinque diebus non creavit, sed creata formavit et exornavit. Itaque videtur Deus lucem producturus, ex aquis abyssu condensasse instar crystalli corpus aliquod orbiculare, eique lucem hanc indidisse.

Nota secundo, hoc lucidum corpus primo mundi

triduo, scilicet antequam quarto die crearetur sol; ab angelo motum fuisse ex oriente in occidentem; atque eodem modo et tempore quo sol, scilicet viginti quatuor horis, utrumque coeli hemisphaerium circumgyrasset, et illuminasset, uniformiter, difformiter uti jam facti sol. Lux enim haec primos tres mundi dies sua motu descripsit et distinguit: sicut ceteros deinde sol suo motu descripsit, et in dies describit et distinguit.

Tropologicè, Apostolus 2 Cor. 4, v. 6: *Deus, inquit, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, q. d.:* Uti Deus olim in Genesi produxit de tenebris lucem, ita nunc ex infidelibus nos fideles fecit, fideique luce collustravit. Sic et S. August. l. 1 contra advers. legis c. 8, per hoc quod tenebris, sive nocti, quae luce fuit prior, lux et dies successit, et huius successerunt rursùm tenebrae, docet quid in homine fiat spiritualiter, scilicet, peccato gratiam, et gratiae peccatum eum in illud relabimur, succedere. Vide S. Dionysium supra. Rursùm lux primò omnium creatura significat rectam mentis intentionem, quae omnia nostra opera praerit et dirigere debet, ait Hugo Victor.

Insuper lux est scientia et sapientia. Unde S. August. l. 1 de Genesi ad litt. c. 17. Primò, creata est lux, id est, inquit, *et prior omnium creata est sapientia.* Eccle. 1, 4. Ad haec lux est prudentia et consideratio, quae omnes actus praerit et illustrare debet, iuxta illud Psal. 4, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Denique lux est lex et doctrina praesertim evangelica, iuxta illud Proverb. 6, 23: *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Hinc de Evangelio canit Isaias c. 9, 2: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis, et c. 60, 1: Surge, illuminae Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.*

Symbolicè: *Fiat lux*, id est, fiat angelus, ait S. August. l. 1 de Genesi ad litt. c. 17, et l. 11 Civit. 19, atque ex eo Rupert. Beda et Glossa interlin. qui omnes censent hunc sensum esse litteralem, quasi hic describatur creatio angelorum sub nomine lucis. Verùm hoc litterale esse nequit: quia angeli ante lucem creati sunt, simul cum caelo et terrâ. Secundò, idem S. August. in opere imperfecto super Genes. c. 5, haec accipit de generatione Verbi Dei ab aeterno: in hoc enim conceptu mentis suae dixit Deus Pater: *Fiat lux*, id est, fiat Verbum, quasi lumen de lumine. Unde Apostolus de eo ait Hebr. 1, 5: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius.* Lux enim, quia spiritalis est, celestis, impassibilis, incommutabilis, etc., optimè representat Patris aeterni generationem. Verùm hoc quoque symbolicum est, non litterale.

Alleg. Christus incarnatus est lux mundi, Joan. 8, 12, et c. 1, 9: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hinc idem nomen à Christo participant Apostoli, doctores et praedicatoribus quibus praesertim Matth. 5: *Vos estis lux mundi.* Quâ de re pra-

clare S. Basil. hom. de Penitentia: *et Axiomata, ait, sua et Jesus largitur alii. Lux est: Vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est: et facit sacerdotes. Ovis est, et dicit: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Petra est: et petram facit (S. Petrum). Quae sua sunt largitur servis suis. Argumentum hoc est opulenti, haec primo videlicet et aliis dare. Est enim (Christus) in star fontis perpetuò fluentis.*

Anagog. lux significat lumen gloriae et claritatis visionis beatificae, iuxta illud Psal. 55, 10: *In lumine tuo videbitur lumen.* Hinc Christus gloriam caelestem in transfiguratione sua representavit per lucem: *Resplenduit enim facies eius sicut sol,* Matth. 17, 2. Hinc et angeli ac beati dñm apparent, videntur lucidi et splendidi, quâ de causâ pictores semper eis radios appendunt. Vide Apocal. 21, 11 et 26.

VERS. 4. — ET VIDIT LUCEM QUOD ESSET NOXA. *Vidit*, id est, videre et cognoscere nos fecit, inquit S. Hieronymus Epist. 15. Secundò, planities et simpliciter, per ethiopian à Mose inducitur hic Deus humano more quasi artifex, qui peracto opere illud contemplatur videtque esse pulchrum et elegans; idque hoc fine, ut contra Manichaeos sciamus, à Deo nihil mali, sed omnia bona esse producta. Docet S. August. in sententiis quae habentur in fine tom. 3, n. 141: *et Tria, ait, maxime nobis scienda de conditione creaturae, oportuit intimari: quis ea fecerit, per quid fecerit, quare fecerit? Dixit Deus, inquit, Fiat lux, et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod bona esset. Nec auctor excellentior est Deo; nec ars efficacior est Deo verbo; nec causa melior est, quam ut bonum creetur à bono.*

Bona. Hebraeum *to* significat omne bonum, pulchrum, jucundum, utile et commodum. Lux enim orbi est jucundissima, aequè ac utilissima. Hinc initium lucis vocatur mane, eò quod tunc manet dies ab Oriente; vel potius quod bonum antiqui vocarent manum. Quid autem melius est luce et mane? ita Varro, Festus et B. Isidor.

ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS. Hebraea et Septuag. habent, *divisit inter lucem et tenebras. Divisit* primò, loco; nam dum hic est lux et dies, apud antipodes est nox et tenebrae. Secundò, tempore: nam in eodem hemisphaerio vicissim ac diverso tempore sibi succedunt lux et tenebrae, nox et dies. Tertio, causa: nam alia est causa lucis, scilicet corpus lucidum, alia tenebrarum, scilicet corpus opacum. Secundum maxime hic spectat Moses, q. d.: *Fecit Deus ut post creatam à se lucem, tenebrae et nox succederent.* Unde sequitur: *Appellavitque lucem diem et tenebras noctem.*

Quæres, quando creatus sit infernus? — Ludov. Molina putat tertio die creatum esse: tertio enim die terra ornata fuit; infernus autem est in centro terræ. Sed verius est infernum creatum esse hoc loco, primo scilicet die; nam cum angeli celerissimi sint, et instantaneos habeant actus, omninò verisimile est, eos primo die non diù post creationem suam peccasse, idcirco statim à caelo trusus esse in infernum, quem Deus statim post peccatum eorum, quasi carcerem et ecu-

leum cum suo igne et sulfure eis apparavit in centro terræ. Primo ergo die sicuti Deus lucem à tenebris, ita angelos à demonibus, gratiam à peccato, gloriam à poenâ, caelum ab inferno divisit.

Unde allegoricè, Hugo lib. 1 de Sacram. p. 1, c. 30 et alii notant, primo die cum facta est lux, et à tenebris divisa, bonos angelos fuisse in bono et in gratia confirmatos, malos verò in malo, eosque à bonis fuisse segregatos; et ita quod agebatur in mundo sensibili, erat imago illorum quae in mundo intelligibili agebatur. Imò S. August. passim hunc sensum quasi litteralem affert: *Divisit lucem à tenebris*, id est, inquit angelos à demonibus; verum, ut dixi, hic sensus est allegoricus, aut potius symbolicus.

VERS. 5. — APPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM. In verbo, *appellavit*, est metonymia: ponitur enim signum pro re significatâ, q. d.: *Efficcit Deus, ut lux pro toto tempore, quo hemisphaerium illustrat, diem faceret; tenebrae verò noctem; ita ut ab hominibus lux haec appellari posset dies, tenebrae nox; ita S. Aug. l. 1 de Genesi contra Manichaeos, c. 9 et 10.*

ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES UNUS. Ex hoc loco opinatur Catharinus, lucem (quam ipse putat fuisse solem) creatam esse in altero hemisphaerio, quod huic nostro, in quo conditus est Adam, oppositum est; ita ut initio mundi in altero esset lux et dies, in nostro esset nox et vespera, ut hic dicitur. Verùm hoc est improbabile: cetera enim omnia in nostro hemisphaerio creata sunt à Deo; ergo et lux. Secundò, ex hoc v. et ex v. 2 videtur nonnullis quod vesper, id est, tenebrae priores fuerint luce, et nox die; ita ut prima fuerit nox 12 horarum, in cuius initio creatus sit mundus: deinde successerit lux, sive dies 12 horarum: ex quâ nocte et die artificiali conflatus sit primus dies naturalis 24 horarum. Atque hinc putant tam Iudeos quam Ecclesiam, apposidè ad primævam diurnum institutionem, festos dies à vesperâ in vespere celebrare. Verùm improprie vespera vocatur ipsa tota nox, et mane ipsa tota dies.

Suppono tanquàm verius, caelum et terram non ante, sed ipso primo die esse creata, de quo superius dixi. Nunc dico, verius est primo quasi mane creatum fuisse mundum, tumque fuisse tenebras in orbe et abisso, quo tempore Spiritus Domini ferchatur super aquas, ut patet v. 2. Deinde paulò post v. 3, post sex horas sub meridie (tenebrae enim aequè ac lux occupârunt, et diviserunt primum diem) creatam fuisse lucem in medio caeli, vel totius abissi; quae peracto suo motu 6 horarum, quibus à medio caeli ad occasum declinavit, effecit vespeream quasi sui terminum; ita ut tam tenebrae, quam lux simul juncta, non amplius quam duodecim horas durârunt: creata est enim lux perfecta in meridie, ut dixi; inde secuta est nox pariter 12 horarum, cuius terminus est mane. Moses enim hic diem et noctem per sui terminum, vocat vespere et mane. q. d.: *Decurso jam diei curricula (quod fuit 12 horarum) per succedentem vespeream et peracto quoque noctis spatio (quod pariter 12 horarum est) per succedens illi mane completus est dies*

primus 24 horarum; ita Aegidius Roman. 1 part. Hexamer. cap. 6. Si quis malit lucem suam in Oriente creatam esse, ab eaque cospisse manum diem, hic cum Pererio et Abulensi dicat necesse est, caelum et terram ante primum diem creata esse; fuisseque tempus ante primum diem, quo Spiritus Domini ferchatur super aquas, durantibus tenebris.

DIES UNUS. *Unus*, id est, primus, ut patet ex v. 8 et 15. Sic dies, quam Joan. 20, 1, vocat *unam sabbati*, Matth. 28, v. 1, vocat *primam sabbati*. Hebraei enim saepe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Fuit haec prima mundi dies Dominica: nam septima ab ea fuit sabbatum. Tredecim Dominice prerogativas vide apud Pererium in fine operis primae diei.

Nota. S. August. lib. 4 de Gen. ad litt. c. 22 ad finem libri, et clarè lib. 11 de Civit. cap. 7, hosce dies vult mysticè esse intelligendos; videtur enim ipse opinari omnia simul à Deo creata esse primo die: Mosen verò per sui creationis dies, intelligere varias angelorum cognitiones earumque modos et objecta: verbi gratiâ, quòd primus dies sit cognitio, quâ tam se, quam caelum et terram cognoscunt angeli: secundus sit cognitio quâ cognoscunt firmamentum dividens aquas ab aquis: tertius sit ea quâ cognoscunt germina et plantas: quartus, quâ solem et sidera: quintus, quâ pisces et aves: sextus, quâ animalia et homines, quae sexto die creati sunt, cognoscunt. Idem docet Philo lib. 1 Allegor. Verum contrarium docent omnes alii Patres, idque omninò evincit simplex et historica narratio Moysi. Vide can. 1. Quare jam erroneum est dicere omnia à deo esse producta, licet id senserit Cajetanus et Melchior Canus, quem citat Bannes, 4 p., quest. 74, artic. 2. S. August. Ergo dubiè et disputando loquitur in questione, ut ipse ait, tunc difficillimâ, nec satis seipsum explicat, an haec afferat pro mystico, an pro litterali sensu.

Dices: Eccl. 18, 4, dicitur: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul;* ergo non successivè per sex dies. Respond. Vox *simul* referenda est non ad *creavit*, sed ad *omnia*, q. d.: *Creavit Deus omnia simul*, id est, omnia pariter, nullo excepto; nihil est, nihil existit quod non creaverit Deus. Unde pro *simul*, in Graeco est *συνεχ*, id est, communiter.

Pari modo S. Augustin. per vespeream accipit cognitionem angelorum obscuriorum, quæ res cognoscunt in seipsis: per mane, vel matutinam cognitionem accipit perfectionem quâ angeli cognoscunt res in Deo Deique Verbo: nam ut ait ipse lib. 11 de Civit. cap. 7, scientia creaturæ comparatione creatoris quasi vespereas; creaturæ verò et mane fit, cum tam ad incoem quam ad laudem et dilectionem creatoris ipsa referunt. Haec vera et pia sunt; sed mystica, non litteralia.

Moral. S. Chrysost., hom. *Quòd homo praesatus sit omni creaturae*, tomo 1, acres homini ex die, luce aliusque creaturis ad Deo serviendum adhibet stimulos. c. Tibi, inquit, caelum, in die lucis, splendore veris; tunc, ut solis fulgoribus decoratur: in nocte clarè: sicut lumen speculo et astrorum vario fulgore polus

ipso illustratur, ut dies noctisque vicissitudine et numerositas temporum dignoscatur, et post diurnum et laboris requies miseris mortalibus prebeat. Tibi tempora alteris vicibus immutantur, frondescent silva, amenantur campi, prata virescant, animalia fetus edunt, scitent fontes, amnes fluent, etc. Quid si tibi universa natura constanter edoceret: Ego tibi à Domino rerum præcepta sum: pareo, obtempero, servo, et cum mutato non mutor. Pareo, inquam, rebelli, obtempero prociaci, deservio contempori, etc. Quis talis es, qui in hoc contentu consistis? qui creature imperas, et creatori non servis? qui dominatum exeres, et Dominum non agnoscis? Time Dominum patientem, ne severum et sentias judicem: corrigat te dilatio differentis, ne censura punita iudicantis. Et mox: «Nec si totum vite tempus oris obsequia occupant, laudes et tenent, gratiarum actiones insistant, poteris pensare quod debes. » Et in fine: «Peccator in se duplex scelus et geminum crimen admittit; et quod debita Domino servitutis non reddidit obsequia; et quod innumera beneficia peccando, ejus pensare nititur contumelia. »

DE OPERE SECUNDE DIEI.

Primo die in mundi fabrica Deus creavit et fecit terram pro fundamento, eique imposuit cælum empyreum quasi tectum: reliquum inter hæc intermedium erat chaos, sive abyssus illa aquarum, quam hoc die secundo evoluit, ordinat et efformat.

VERS. 6. — FIAT FIRMAMENTUM IN MEDIO AQUARUM, ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS. Firmamentum hebraice vocatur *rakia*, cujus radix *raka*, teste S. Hieron. aliusque doctissimis Hebraeis, significat expandere, distendere, et distendendo firmare ac solidare rem aliquam, quæ prius fluida erat et rara. Sicuti ergo res fluidum fundendo distenditur et condensatur, ita hic aqua densata in cælum, vocatur græcè *ερεπλωμα*, latine firmamentum; est enim firmamentum quasi murus in medio aquarum, id est, inter duas aquas, superas scilicet et inferas interjectus, easque ab invicem dispescens et coercens.

Quæres, quodnam sit hoc firmamentum, et quanam sint aquæ supra firmamentum?

Primo, Origenes per aquas superas intellexit angelos; per inferas verò demones; sed hoc Origenicum et allegoricum est somnium.

Secundo, Bonav., Lyran., Abulens., Cajet., Catharin. et alii, per aquas superas accipiunt cælum crystallinum; sed hoc nimis æquivocè vocatur aqua.

Tertiò, Rupert., Eugubin., Perer., Gregor. de Valentia (idque laudat S. August. l. 2 de Gen. ad litt. c. 4) censent firmamentum esse mediam aëris regionem, quæ licet primo die sit facta et creata ut esset aer, hoc tamen secundo die facta est firmamentum, id est, interstitium, dividens aquas superas, id est, nubes, ab inferis fluminum et fontium.

Verum dico, firmamentum esse cælum stellatum, omnesque orbis cœlestes illi vicinos, tam inferiores,

quam superiores usque ad empyreum, qui, ut ait Job, quasi aere fusi sunt; imò firmamentum non quidem significat, sed tamen per quamdam concomitantiam, et situs connexionem extendit se, et complectitur etiam aërem vicinum à cœlo in terram expansum, et suo loco quasi firmatum; ignem quoque, si quis elementaris (nam multi philosophi hunc ignem negant) supra aërem sit. Ecce hic disponit et format Deus suam abyssum aquarum: pars enim hujus aquæ, tantquam materia aptissima ad transmutationem (aqua enim nec nimis densa est, nec nimis rara, unde facile in quidvis commutatur) conversa est et consolidata in cœlos et aërem, ut dixi: pars subtilior et nobilior supra cœlos remansit: pars crassior subtilis firmamentum in maria et flumina varia divisa est.

Itaque supra cœlos omnes, adæque supra primum mobile (hæc enim omnia complectitur firmamentum) proximè sub cœlo empyreo, sunt verè et naturales aquæ. Ridet hoc Calvinus, scribens in Genesim hoc versu: sed insulsè; nam hæc sententia prob. Primò, quia hoc exigit simplicissima et historica Mosis narratio. Firmamentum enim, et Hebræum *rakia*, non aërem, non nubes; sed propriè cœlum sidereum, orbisque cœlestes significat. Rursum vox *fat*, non significat deputationem rei antea factæ, puta medicine regionis aeris, ad dispescendum aquas ab aquis; sed significat realem rei quæ fieri jubetur productionem; ut cum dicitur, Fiat lux, fiant luminaria: sic hic dicitur, Fiat firmamentum: idque factum est, et vocatum est cœlum, hebraicè *scamam* quasi *scammam*, id est, *ibi aquæ*, q. d.: In materiam aquæ primæve in abyssu, inducta est nova forma cœlorum, idæque ab aquis pristinis cœlum, licet novum, vocatur tamen *scamam*, id est, aqueum, ex aquis enatum et efformatum; unde et cœlum est colore aqueo. Quare quod Hier. ab Oleario *scamam* interpretatur corpora admiratione digna et obstupescenda, puta corpora nominatissima et famosissima, à rad. *scem*, id est, nomen, fama; aut potius à *scamam*, id est, obstupuit; non consentit cum verbis S. Scripture, nec cum etymo hebræo: *scammam* enim cum sit duale, ad *scamam*, quod pariter est duale, alludit, non ad *scammam*; sic enim *scammam* vocandi essent cœli, non *scammam*. Vox ergo *fat* significat firmamenti non dispositionem, sed productionem. Alioquin enim, sicut dixit Deus v. 9 de mari et arida, *Congregentur aquæ in unum locum*, ita dixisset hic, Cœlum vel aer qui ante fuit, jam sit firmamentum, id est, interstitium inter aquas inferas et superas. Atque hinc nonnulli, ut S. Basil. Ambrosii, et ex his Damascenus l. 2 de Fide c. 6, putant cœlos (non astra, hæc enim patet esse solida) non esse solidos, sed tenues et fluidos, ita ut instar aquæ et aeris secari et dividi possint.

Secundò, idem probatur ex eo quòd Deus tertiò die in firmamento fecit solem, lunam et stellas: hæc autem non sunt in aere, sed in cœlo: ergo non aer, sed cœlum et firmamentum.

Tertiò, quia nubes necdum existitisse hoc die secundo, imò nec sex primis diebus, sed aërem hincpississimum,

atque colligitur ex e. 2, v. 5; ergo aquæ hæc superare non possunt esse nubes.

Quartò, quia alibi, ubi aquæ superæ nominantur, distinguuntur à nubibus, pluvii et grandine: atque primo loco inter alia creata supra nubes, supra cælum ponuntur, ut patet Daniel. 3, v. 60, Psal. 148, v. 4.

Quintò, hæc est communis Patrum sentent. Philonis, Josephi, S. Basilii, Ambrosii, Procopii, Theodoriti, Chrysostomi, Ruperti, Gennadii, et Severiani in Cat. Græcorum, Hilarii in Psal. 135, Bede lib. de Natur. rerum, Justini q. 95, August. l. 2 de Civit. c. ult. et jam Onkeli, Oleastri, Lipomani, Molinae et aliorum multorum.

Dices: Deus initio nihil fecit contra naturam, nam tunc naturam ipsam instituit: contra naturam autem est aquas esse supra cœlos. Resp. negando minorem. Aquis enim illis attenuatis, subtilibus, et specie à nostrâ aquâ differentibus ille locus est naturalis. Id enim, ait S. August. l. 26, contra Faustum c. 3, cuique rei est naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus et ordo nature.

Pari modo, idem ait l. 2 de Civit. c. ult. Deus in homine phlegma posuit non in imo, sed in summo, scilicet in capite; sicuti aquas hæc in mundo posuit in summo, scilicet supra cœlos. Sic et terra licet gravissima sit, in mundi tamen medio quasi pila pendet, et à Deo conservatur; vide can. 2.

Quæres secundo, quorsum ibi, scilicet supra cœlos, sint hæc aquæ? Respond. primò, Procop. et Theodor. Ibi hæc aquæ sunt ad hoc, ne sol, luna, et astra utpote ignita, cœlum ex aquis quasi congelatum dissolvant, vel, ut Beda, ad temperandum calorem ex vi et motu sidereum ortum. Secundo, Justinus supra: Sunt, inquit, ibi hæc aquæ ad deprimentum firmamentum ne sursum feratur. Tertiò, Procop. Sunt, inquit, ibi, ad hoc, ut solis et lune radios reverberent, eosque deorsum ad terram repellant. Quartò, Oleario: Posite, ait, ibi fuerunt hæc aquæ ad hoc, ut in diluvio Noe per cataractas emissa terram obruerent.

Sed resp. Deum voluisse has aquas supra cœlos collocare (ex aquis enim his facti sunt cœli) tum ad ornatum universi, tum ut matris hæc cœlorum creationis index exstaret, quam supra se cœli semper intuerentur. Fortè etiam ad volupetatem Sanctorum existentium in cœlo empyreo ut aquis hisce crystallinis et variegatis oculis eorum pascat: aquæ enim omnis formæ, decoris, coloris et ornatus sunt capacissima, ut patet in hride, quasi hic alludat Joan Apoc. 7, v. 17: *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, et c. 22, v. 1: *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallinum*. Insuper ad hoc, ut sicut aqua hic acri nostro, ita aquæ illæ subservirent ætheri qui est in cœli empyreo. Verissimè enim est, cœlum empyreum non esse solidum instar ferri, (alioquin enim, si naturam species, Sancti ibi quasi in muro compacti essent) sed habere suum aërem vel ætherem, omni rerum specie ornatissimum, per quem Beati omnia sentiunt, respirant, et moventur; uti pulchrè docet noster Lessius lib. 3 de summo Bono, c. 8, et Guillelmus

Parisienis, lib. 1 de Universo, cap. 39; imò noster Adamus Tannerus, dissertatione de cœlis, quæst. 8, assertionè 2, censet aquas hæc super cœlestes non esse aliud quam ipsam ætherem liquidum Beatorem in cœlo empyreo jam dictum, illumque esse mare vitreum de quo dicitur Apoc. 4, v. 6: *Et in conspectu sedis (throni Dei) tanquam mare vitreum simile crystallino, eumdemque vocari fluvium splendidum tanquam crystallinum, procedentem de sede Agni*, Apoc. 22. Denique multa mirari voluit nos Deus, non scrutari; et major est hujus Scripturæ auctoritas, ait S. Augustinus, quam omnis humani ingenii capacitas.

Quæres tertio, cur Moses non dixerit hoc die id quod dixit in cæteris: *Et vidit Deus quòd esset bonum*? Respondet Catharinus et Molina: Causa est, quòd firmamentum adhuc rude erat, et quarto die sole et luna perfectum, sed obstat quòd de luce dicit: *Et vidit quòd esset bona*, cum, tamen die quarto esse perfectum, in cœlo iam augendo: sic die tertio non benedixit plantis, cum tamen die quinto benedixit animalibus. Fortè hic optimè dici posset, Mosen tria divinæ separationis opera, scilicet primum lucis à tenebris, secundum aquarum superarum ab inferis, tertium aërum à terrâ, unicè et ultimâ clausulâ complexum esse, dum post hæc tria v. 10, dicit: *Et vidit quòd esset bonum*. Addunt aliqui opus hoc non tam fuisse creationis, quam interstitii et divisionis aquarum superarum ab inferis, per interpositum firmamentum. Unde moraliter collige bonum est, sicut ingens in republicâ et congregatione bonum est unio et concordia, sic ingens malum sit divisio et discordia, uti multis hic ostendit noster Benedictus Fernandus, in fine capituli. Denique Septuag. hic, uti in cæteris habent: *Et vidit Deus quòd esset bonum*; in Hebræo tamen, Chaldeo, Theodoro, Aquilâ, Symmacho et Vulgata, id desideratur.

Moraliter, firmamentum est firmitas et constantia anime in Deo et oculis defixæ, quæ constanter sustinet aquas superas, id est, prosperitates; et inferas, id est, adversitates. Hinc et homo vultu est erecto, ut cœlum assidue spectet: quin et in se habet imaginem cœli; nimirum primò, habet caput rotundum, ut cœlum. Audi Cassiodorum lib. de Anima cap. 16: *Caput, ait, nostrum sex ossibus compaginatum, in similitudinem cœlestis spheræ rotundâ concavitate formatum est*. Secundo, duo oculi sunt, quasi sol et luna, quæ vicissim abscondunt se, et occultantur, uti oculi, qui inde non acciperent. Dicit enim sunt ab occultendo, vel occultando. Audi Varronem, et ex eo Lactantium lib. de Officiis Dei c. 10: *Deus ut oculi munitiones essent ab injuriâ, eos superciliorum tegminibus occultat. Unde oculos dictos esse Varon placet*. Occurrente ergo muliere, alivæ illecebrâ, occulte oculos, ut eos servos quasi oculos, mentemque pariter à noxâ. Ita noctu occulti se sol, ne quieti hominum obsit: luna per diem, ut noctu his proset et præluceat. Tertiò, quia animam è cœlo Dei et angelorum similem accipit. Audi S. Bernard. in festo S. Martini: *Licet quodammodo cœlum sit homo, cœlestibus sine dubio spiritibus similis sustan-*

trā simul et formā; substantiā quidem, quoniam spiritalis; formā verò, quia rationalis est: minimè tamen levare eum ista duo sufficiunt, ut mercator audire, quia celum est et in celum ibis. Quartò, quia celum dicitur à celando, ait ibidem S. Bernard., quia in celo multa nobis celantur et absconduntur: ita in homine mens, cogitatio, intentio, et secreta cordis celantur. Quintò, primus homo de celo celestis (puta Christus) et qualis celestis, tales et celestis, ait Apost. 1 Corint. 15, q. d.: Quis Christus, tales sunt et Christiani. Sicut ergo Christus est celum deitatis et virtutum, ita est et Christianus, in quo luna est fides, hesperus spes, sol charitas, reliqua astra ceteræ virtutes, ait S. Bernard. serm. 27 in Cant. unde de eo mysticè dicitur Isaïæ 66: *Cælum mihi sedes*; et ad litteram Apoc. 21: *Vide civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de celo, etc.* Tale cælum fuit mulier illa amicta sole, habens coronam stellarum duodecim in capite, et lunam sub pedibus, Apoc. 12, puta Ecclesia, et mysticè B. Vifio.

VERS. 8. — VOCAVITQUE DEUS FIRMAMENTUM COELUM. *Cælum* latine dicitur, id est, occultandum, dicitur quòd omnia celet et tegat, ita S. August. lib. de Cognitione veræ vite c. 45, tom. 9, vel ut S. Amb. dicitur cælum quasi celatum, id est, depictum variis stellis. Varro cælum dici putat quasi *celos*, id est, cavum, et sic per *o*, et non *e*, scribendum est cælum.

Verum Moses hebraicè scripsit, non latine; et hebraicè locutus est Deus, vocavitque firmamentum *scamain*, ob causam quam superius dedi.

Et factum est vespere et mane dies secundus. Ne cogites Deum instar artificis, toto die in hac firmamènti fabrica, aliisque deinceps occupatum fuisse; sed fecisse eam subito, in instanti, ac per totum reliquum diem eandem conservasse.

DE OPERE TERTIÆ DIEI.

VERS. 9. — CONGREGENTUR AQUÆ OBLI SUB COELO SUNT, IN UNUM LOCUM, ET APPAREAT ARIDA. Querēs, quomodo hoc sit factum. Primò, aliqui putant mare in alteram terræ partem, alterumque hemisphærium esse collectum, ita ut illa pars terræ tota sit aquis cooperta et inhabitabilis; ac proinde non sint antipodes: ita Procopius, nec abnoti S. August. l. 16, de Civit. cap. 9. Verum contrarium constat ex quotidianis Lusitanorum et Hispanorum in Indias navigationibus.

Secundò, Basiliius hom. 4, Burgens., Catharinus, et D. Thom. p. 4, q. 69, a. 1, putant mare hic separatim esse à terrā, ut eā factum sit altius, adeoque jam globum et centrum habeat à globo et centro terræ diversum, eaque aquas. Ex hac sententiā facile est dare rationem, cur in locis etiam altis erumpant fontes et flumina; quia nimirum oriuntur per venas subterraneas ex mari, quod terrā est altius: constat autem experientia, fontes ascendere ad altitudinem suæ originis, idque fit ex naturalis aquarum de gravatione, quæ aliæ alias propellant, donec quasi ad æquilibrium utraque perveniat.

Suppono aquam quæ exterius apparet, multò minorem esse terrā, uti clarè demonstrat Alexander Picco-

lominicus libr. de hac re edito, et Jul. Scaliger contra Cardanum, exercitatione 58. Nunc

Dico primò, terra et aqua unum globum efficiunt, ac proinde non est aqua terrā altior. Est hæc communis sententia Mathematicorum, Molinæ, Pererii, Cajetani, S. Hieronymi in Psalm. 52, Chrysost. hom. 9, ad pop., Damase. l. 2, de Fide c. 9 et 10. Et patet primò, ex eclipsi lune, quæ fit ex terrā inter solem et lunam interjecta. Hæc enim eclipsis umbram dat tantummodo globi, non autem duorum; ergo terra et mare, quorum hæc est umbra, non duo, sed unum sunt globus.

Secundò, quia qualibet guttæ aque, et qualibet partes terræ ubique per eandem lineam, recta eodem modo et viā descendunt ad suum centrum; ergo idem habent.

Tertiò, quia littora et insulæ aquis eminent, ut patet; imò insulæ plures in aqua natant, et multæ locum mutare sunt visæ; ergo insulæ, terræque ipsa unum cum mari globum efficiunt.

Quartò, idem patet ex Scripturâ, Psalm. 25, v. 2: *Ipsæ super maria fundavit eam (terram) Psalm. 153, v. 6. Qui firmavit terram super aquas. Psalm. 106, 25. Qui descendunt mare in navibus; ergo non mare terræ, sed terra mari est altior.*

Dices: Quomodo ergo dicitur Psalm. 105, v. 6: *Super montes stabunt aquæ?* Respondeo, *stabunt*, id est, stabant aquæ; cum scilicet, ut illo Psalmo præcessit, aquæ quasi vestis amiccirent et tegerent totam terram, primo et secundo mundi die: sed tertio hoc die ad vocem Dei fugerunt in unum locum, tuncque Deus in terrā fecit ascendere montes, alibi depressit eam in valles, alibi primam planitiem et campos reliquit, uti in Psalmo sequitur. Idque fecit Deus, tum ad varietatem rerum; tum ut montibus mare et flumina quasi muris continerentur; tum ut montes suas pluvias et aquas distillando fecundarent campos, eosque ab æstu et ventis protegerent.

Dico secundò, congregatæ sunt aquæ hoc tertio die: primò, quia fecit Deus, ut aqua dulcis fluminum et fontium (quæ videtur esse densitas aquæ naturalis) magnā parte fieret densior, congestis simul in eam exhalationibus terrestribus et aëdustis, quibus mare fieret salsum; tum ne computresceret; tum ut haberet nutrimentum pro piscibus; tum ut facilius naves sustineret. Sic ergo Deus hoc tertio die fecit mare salsum, illudque quotidie conservat additione similium exhalationum, quæ ex terrā vi solis et astrorum educuntur, et in mare demittuntur. Ridiculum enim est, quod quidam philosophi excogitarunt, salsedinem maris provenire vi radorum solis, quibus fundus maris aduratur: adustione enim salsedinem nasci ut cinis indicio nobis est; non enim sol urit nisi per lumen, quod ultra quindecim cubitos in mare non penetrare urinales testantur: fundus autem maris multis locis quingentis, imò mille cubitis est profundus. Sic ergo Dei operatione facta aqua densior, se contraxit, et minorem locum terræ quam antè occupavit, partemque terræ reliquit aridam; ita S. August. lib. 1 de Genes. ad litt. c. 12.

Secundò, non post diluvium, uti aliqui volunt, sed

hoc tertio mundi die fecit Deus terram partim subsidere, partim assurgere. Unde facti sunt montes et valles; varii quoque hiatus et cavitates in terrā, in quas quasi alveos mare se recepit, ut patet Psalm. 105, 7 et seq. Hoc ergo tertio die fecit Deus omnes alveos; tum maris, tum fluminum, in eosque mare et flumina segregavit, videt Rupert. in Genes. lib. 1, c. 54 et seq.

Tertiò, fecit Deus hoc tertio die cavitates sub ipsa terrā maximas, uti experientia deprehensum est, easque implevit maximā aquarum copiā, quæ proinde à multis dicitur barathrum vel abyssus; et per varios meatus cum mari conjungitur, putaturque esse matrix et origo omnium fontium et fluminum; utpotè quibus per venas, quarum terra est plenissima, aquam quasi sanguinem imperit. Cujus indicium est, quòd ubicumque quis fodiat, ibi penè semper inveniat aquam, ut patet in puteis, quos ubicumque effodi videmus. Terra enim est quasi mater viventium et mixtorum: unde sicuti in animalis, omnisque hominis corpore, magna sanguinis copia est in hepate et corde, indeque per plurimas venas dispergitur per totum corpus, tam sursum quam deorsum: ita, ait Seneca l. 3. Natur. quest. c. 15, ingentes illæ cavitates sive voragines sub terrā, per cuniculos quasi venas per totam terram, etiam altam et montosam disperguntur; et certis locis terræ in fontes, rivos et flumina erumpunt. Quod ergo est hepar in homine, hoc est abyssus hæc aquarum in cavernis terræ. Verum origo fontium et fluminum alibi exactius disquirenda est.

Ex hac abyssu profuens aqua, mixta cum pluvia, tempore diluvii Noe, totam terram rursùm, omnesque montes altissime oppluit et superavit; Genes. 7, v. 11 et 20. Hinc rursùm S. Basil. hic hom. 4, Ambros. l. 2, c. 2 et 5, Hieron. in c. 5. Abacuc, docent omnia flumina, omnesque aquarum confluxus oceano tandem uniri. Quin et mare Caspium, quod separatim omninò videtur, per meatus subterraneos uniri oceano Arctico, ideòque falsum esse, docent B. Basiliius, Strabo, Plinius, et Dionysius de situ orbis: quidquid dicit Aristoteles et Ptolomæus. De hac abyssu vide plura apud Comimbrienses tract. 9, in Meteora c. 4 et Franc. Valesium sacra Philosophiæ c. 65. Hinc

Dico tertio: Dicuntur aquæ congregatæ in unum locum, id est, in locum separatim à terrā, ut ea fieret arida et habitabilis. Secundo, propriè in unum locum, quia, uti jam dixi, omnes aquæ ununtur oceano, et huic abyssu, quæ partim sub terrā est, partim et contigua est in terrā, quæ est ipsum mare; una enim est hæc abyssus, cui omnis aqua per venas subterraneas quasi fonti et mammæ unitur; indeque per venas in varia loca spargitur. Voluit enim Deus aquas per varios alveos et sinus terræ immiscere, tum ut iis terra irrigaretur et fecundaretur; tum ut ventis marinis ad salubritatem et fecunditatem periretur. Porro aquæ illæ quæ initio terram operiebant, non erant profundæ; quare faciliè in oceanum et abyssum hanc profundam recludi poterunt. Ergo non est necesse dicere, partem aquarum à vento, ut vult Abulensis; aut à sole, ut vult Eugub. siccatam esse.

Notat Theodoretus in psal. 103, mare furens non tam horribilis, quibus penè æquale est, quàm Dei iustus, quasi freno et tonitru coerceri; alioqui sæpè omnia perempit et obrueret, uti fecit initio mundi; hinc Deus dicitur possidere mari terminum suum, quem transgredi non possit, ubi contudat tumentes fluctus suos, Psalm. 105, v. 9. Job. 58, v. 7. *Alioqui, ait S. Basil. hom. 4 Hexam., qui prohiberet mare Rubrum, sud exaudanti clivie irrupere in universam Ægyptum, quæ ipso mari tantè est concavitate depressior, sequè mari quod Ægypto adjacet conjungere, nisi creatoris præcepto tanquam compeditibus astricturn coerceretur.* Idem habent S. Ambrosius, S. Thomas l. p., q. 69, a. 1, et Plinius lib. 6, c. 29, ubi ex mari Rubro navigabilem alveum, non in mare Ægyptium, ut ait S. Basiliius, sed in Nilum, quā parte infernè ad Delta decurrit, deducere primus omnium, inquit, *Scosotis rex Ægypti cogitavit, mox Darius Persarum, deinde Ptolomæus sequens, qui et ducit fossam, etc.* usque ad fontes amarus, ultra deterruit inundationis metus, excelisioribus tribus cubitis Rubro mari comperto, quam terra Ægypti. Sed addit Plinius: *Aliqui non eam afferant causam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potus præbet.* Nam priorem experientiam Scosotis, Darii et Ptolomæi, quod scilicet ab eis comperit sit mare Rubrum alius esse Ægypto, negat Strabo l. 17, et ex eo Pererius: quibus favet nonnulli, quod avorum memoria Alfonso Albuquerque India Prorex, non mare Rubrum in Nilum, sed vice versâ Nilum supernè ex Æthiopia decurrentem, in mare Rubrum quasi demissus, fossā ductā derivare cogitavit, idque ad hoc, ut Nilum averteret ab Ægypto, itaque Ægyptum infrugiferam et inutillem Turcis redderet: ac reipsa præfecisset, nisi morte preventus fuisset, ut narrat noster Maffæus in fine libri 5 historia Indic. Addit S. Basil. in fine Homiliæ 4, multas magnasque maris utilitates, quas videat qui volet.

APPAREAT ARIDA, quæ prius erat limosa, et aquis cooperta; unde per *arida*, hebraicè est *libera*, id est, exsiccata, ut posset habitari, seri, fructus ferre; arida ergo non est idem quod arena: sic enim fuisset infrugifera; sed arida idem est quod sicca. Mansit enim in terrā aliquis humor dulcis, tum ut eam faceret frugiferam, tum ut quasi glutem partes distantes jungeret, ne fatiscerent, et à se invicem divellerentur; hinc rursùm per venas fontium et fluviorum eam irrigavit Deus.

VERS. 10. — ET VOCAVIT DEUS ARIDAM TERRAM, CONGREGATIONESQUE AQUARUM APPELLAVIT MARIA. Est prolepsis. Nam non hoc die tertio, sed die sexto, puticum formavit Adamum eique indidit linguam hebream, tum Deus aridam vocavit, et ab Adamo vocari jussit hebraicè *ereis*, id est, terram; et congregationes aquarum vocavit *haminim*, id est, maria, q. d.: Hæc arida cujus fabricam hic enarro, est illa quam vulgò hebraicè *ereis*, latine terram appellamus: et congregationes aquarum, quæ dixi Deum fecisse, sunt illæ quas vulgò hebraicè *haminim*, latine maria vocamus.